

2. Reg. 2. b. II.

Artic. 43.

Ascēdit Elias per turbinem in cælum.

*Annotatio,* In cælum, id est in aerem, & locum aliquē trāquillitatis plenum, id est in sinum Abrahæ, qui in aere potius collocādus videtur, quàm in terra. Bib. 1545.

*Censura,* Quum sinum Abrahæ intelligamus ante Christi aduētum fuisse limbum sanctorum patrum, ad quem illi defuncti tantummodo migrabant, falsum est quòd in sinum Abrahæ translatus est Elias, quum nondum sit mortuus. Posterior autem pars annotationis sapit hæresim, pro quanto ponit sinū Abrahæ magis in aere, quàm in terra, quū in sinum Abrahæ, seu in limbū patrum dictorum descenderit Christus, iuxta id Apostoli, Ephe. 4. b. 9, Quod autē ascendit, quid est nisi quia & descēdit primū in inferiores partes terræ? Et iuxta id Zachariæ 9, Emisti vinctos de lacu, in quo nō erat aqua.

*Non fuit in aere locādus Abrahæ sinus.* Esto: fecerunt tamen hoc & alij ante me. Et Augustinus epist. 57, ad Dardanum, & ad Euodium

g. iij.